DE ADVERBIIS AD NOTIONEM AUGENDAM A PLAUTO USURPATIS.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

academia Fridericiana Halensi

cum Vitebergensi consociata

ad summos in philosophia honores

rite impetrandos

scripsit

Paulus Gehlhardt

Wernigerodensis.

Halis Saxonum,

(Wernigerodae)

Formis Angersteinianis.

MDCCCXCII.

Parentibus suis

pietatis causa.

Cum de adverbiis ad notionem augendam a Plauto adhibitis quaestionem instituerem, satis fui mihi conscius unum tantum me tractare genus gradationis cum apud comicos tum apud Plantum valde variae ac paene inexhaustae. At cum universum augendi usum Plauti si perlustrarem, sane fines egressus essem dissertatiunculae — nam hic quam late pateat vel ex eo intelleges, quod permultis vocabulis maior quaedam vis accedit praemissis voculis con, dis, per, prae —. satis mihi habui collegisse ea adverbia, quibus apud Plautum augentur adiectiva, adverbia, verba; nec comparativi et superlativi gradationi denuo operam navare mihi utile esse videbatur, quia et voculas comparativo appositas diligenter enumeravit Fraessdorfius in dissertatione *de comparativi usu Plautino* scripta*) (p. 31 sqq.), et quae superlativum augent adverbia praeter *multo*' apud Plautum exstant nulla (cfr. Schmalzium in „*Muelleri Handbuch der klass. Altertumswiss.*“, vol. II, p. 541).

Atque hoc augendi genus praeter cetera dignum videbatur, de quo accuratius dissereretur. Nusquam enim tam manifesto perspicitur cotidiano usu sermonis perpetuo alia vocabula obsolere et usu tolli, alia adsciscí atque novari, quam in ipsis adverbiis ad notionem augendam usurpatis. Nam alia eiusmodi adverbia Plauto trita apud recentiores sunt oblitterata, alia in classico, qui dicitur, sermone haud raro adhibita a Plauto aliena sunt aut antiquiore aetate latent quasi incunabulis, nec pauca vulgari sermoni debentur, quae respuit posterorum urbanitas; nonnulla denique apud ipsum Plautum suam quodqne, ut ita dicam, provinciam habent adiectivorum verborumque, quibus accedunt.

Quae cum ita sint, ad Plauti usum dicendi cognoscendum non nullius momenti esse mihi videbatur, qua ratione haec adverbia poëta adhibuerit, quaerere accuratius. Sane

*) Halis Saxon. a. 1881.

quidem ad propositum inductus sum non, quod novi quidquam me enucleare posse sperarem, sed ut ea, quae ab aliis in universum atque per totam latinitatem pervestigata sunt, certis unius scriptoris terminis circumscriberem, vel quae adhuc dispersim et occasione data prolata sunt, una tractatione comprehenderem atque ordine enumerarem.

Ex eis libris, quibus maxime usus sum, inprimis mihi nominandus est Woelfflini liber „*Latein. und roman. Comparation*“ inscriptus; cui viro, qui summa cum iudicii subtilitate omnia gradationis genera pertractavit, libenter meritam laudem tribuo nec, si quando eius sententiae repugnavi, labori per tot saecula tam late patenti velim obtrectare videri. Summae quoque utilitati fuerunt, quae Langenus disseruit in libris, qui inscribuntur: „*Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus*“, „*Analecta Plautina*“, „*Plautin. Studien*“, et quod Landgrafius proposuit in dissertatione *de figuris etymologicis*, nec silentio praetermittendus est Handii liber „*Tursellinus seu de particulis*“. In versibus indicandis Ritschelium secutus sum et, quos socios operae assumpsit, Goetzium, Loewium, Schoellium, quorum opera in una Cistellaria fabula destitutus Ussingii numeros retinui; fragmenta attuli ex Winteri recensione, nam fragmentis quoque mihi utendum esse censui, tum saltem, cum librorum memoria ac verborum connexu de vi sensuque singulorum dubitari non posset.

Iam transeo ad ipsam, quam mihi proposui, tractationem, quam si institui, ut primum adverbia proprie ad notionem augendam adhibita enumerarem, deinde ea, quae ex nativa vi certam quandam qualitatem indicantia insolentius ad affirmandum transferuntur, extrema parte dicerem de gradatione etymologica.

Caput I.

De adverbiis proprie ad notionem augendam adhibitis.

Hoc capite ea comprehendam adverbia, quae nihil nisi augendi vim continent, quorum alia frequentissimo usu trita, alia raro usurpata sunt (multum, nimis, nimium, oppido, valde, vehementer, sane, satis, admodum, longe, prorsus, plane, adprime).

multum.

1. apponitur adiectivis:

Men. 731 „*multum et audax et malas*". Merc. 873 „*amicus tibi benevolenti advenio multum benevolens*" (vocabulum „benevolens" a Plauto semper usurpari adiective docet Langenus, Beitr. p. 225). Rud. 261 „*haud gravatam Patronam exsequontur benignamque multum*". Capt. 87 „*Odiossicique et multum incommodestici*". Aul. 124 „*multum loquaces merito omnes habemur*". Stich. 206 „*multum miseri sint*". Men. 572 „*hoc utimur maxume more moro molestoque multum*". Capt. 272 „*non multum fuit molesta servitus*". Mil. 443 „*Mala's || immo ecastor stulta multum*". Mil. 370 „*Ego stulta et mora multum*". Most. 824 quod in libris legitur: „*Hercle, qui multum improbiores sunt*" iam pridem recte mutaverunt editores in „*multo inprobiores*". Men. 316 libri praebent: „*Tu hercle hominem multum et odiosum mihi*", quae verba manifesto corrupta alii sanare studuerunt aliter („*Heu hercle hominem molestum*" Camerarius, „*Heu hercle homonem multum*" Brixius, „*Heu hercle homonem mulum*" Bergkius; vid. Schoellii adnotat.); praefero coniecturam Schoellii, qui sedem corruptelae quaerens in versus initio et „*Tu*" pro adiectivi cuiusdam, velut „*ineptum*", exitu habens scripsit „*Ineptum hercle hominem multum et odiosum mihi*".

plus valet. Trin. 51 *Quid tua uxor agit? ut valet? plus quam ego volo.* „*Plus*" in libris omissum Camerarius addidit: Rud. 688 sq. *quid istaec ara Prodesse nobis [plus] potest quam signum in fano.*

plurumum apponitur verbis:

Amph. 525 sq. *nisi te amarem plurumum, Non facerem.* Most. 717 *di te ament plurumum.* Truc. 590 *Me illum amare omnium plurumum hominum.* Amph. 757 *Plurumum credo.* Mil. 331 *mihi ego credo plurumum.* Capt. 371 *tibi tuopte ingenio prodes plurumum.* Men. 358 *Qui mihist usui et plurumum prodest.* Trin. 435 sq. *Erum atque servom plurumum Philto iubet Salvere.*

Aliquanto saepius hic quoque adhibetur „*magis, maxume*".

Similiter ac „*multum*" usurpantur: aliquantum: Asin. 400 *macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus.*

multimodis, multis modis:

Most. 785 *servus multimodis fidus.* Rud. 837 *proreni nequiter multis modis.* Mil. 1190 *multimodis sapis.* Bacch. 385 *Multimodis meditatus egomet mecum sum.*

omnimodis, omnibus modis:

Rud. 290 *Omnibus modis qui pauperes sunt homines miseri vivunt.* Pseud. 1074 *Omnibus modis tibi esse rem . . . salvam.* Merc. 919 *Omnibus me ludificatur hic modis.* Cas. 942 *Omnibus modis occidi miser.* Rud. 895 *uxor scelesta me omnibus servat modis.* Stich. 684 *Omnimodis temptare certumst nostrum hodie convivium.*

Denique tam arcte „*multum*" cum adiectivis quibusdam coniungitur, ut in unum conflaverint vocabulum: Curc. 77 *Nomen Lenonaest: multibiba atque merobibast.* Cist. 147 *et multiloca et multibiba est anus.* Bapt. 159 sq. *Multis et multigeneribus opus est tibi militibus.* Stich. 383 *Poste unguenta multigenernm multa.* Psend. 794 *Multilocum gloriosum, insulsum inutilem.* Bacch. 652 *habet multipotens pectus.*

nimis. nimium.

Adverbia „*nimis*" et „*nimium*" derivanda esse a vocula „*ma*", quam eandem in „*metare, metiri, mensura*" inveniri et

praemissa negatione „*ni*“ contendunt indicare id, quod modo careat, „allzugross“, post Pottium (Etymolog. Forschgg. I. 194) consentiunt etymologi; nam originatio, quam Handius sibi invenisse videbatur (Turs. IV, 207) disserens negatione „*ni*“ cum vocabulo „*minus*“ coniuncta ad formam litotes id, quod non parum vel haud parvum sit, ad id referri, quod sit magnum vel admodum multum, sane artificiosior magisque futilis est, quam ut ullam praebeat probilitatem. Sed quamquam gravissimi etymorum explicandorum auctores de his adverbiis consentiunt (Corssenus, Ausspr.[2] II, 366, Curtius, Griech. Etymol. p. 327, Kuhnius, Ztschr. VIII, 79, Vanicekius, Etymolog. Wörterb. p. 136), tamen num de hac re omnino quidquam certi possit dici, maxime videtur dubium. Neque quaestionibus etymologicis institutis, quippe quas saepe admodum incertas vanasque esse appareat, sed ipso scriptorum usu cognito de vi ac significatione verborum iudicandum est. Atque cum adverbia *nimis* et *nimium* significare id, quod modum excedit vel ultra modum est, nemo ignoret et de origine quaerere sit inutile, iam transeamus ad ipsum Plauti usum perlustrandum. Primum igitur „nimis“ et „nimium“ haud raro apponuntur adiectivis verbisque servata propria significatione, quae est „zu sehr“. Deinde permulta quoque exstant exempla, ubi adverbia non tam id, quod modum excedit, indicant, quam „multum“, „valde“. Quae significatio quamvis late pateat apud comicos, tamen nec cum Woelfflino (Komp. p. 24) credendum est hac sola Plautum esse usum, nec, quod Handio videtur (l. s. s.), hanc esse notionem principalem ac propriam. Immo utique tenendum est hanc significationem esse secundariam et deberi studio comicorum in maius quidque tollendi verbaque quam gravissima captandi, quo fit, ut emphatice*) id, quod ultra modum est, ponatur pro „multum“, „valde“; velut nos quoque si quid permagna pulchritudine v. s. q. esse dicimus, locutione utimur „zu schön cet“. Sed cum quam significationem singulis locis adverbia contineant, discerni

*) cfr. Brix. Mil. 716, Lorenz. Most. 72.

nequeat neque omnino ullius momenti sit, satis habebo enumerare exempla, ubi Plautus „nimis“ et „nimium“ apposuit et adiectivis adverbiisque et verbis.

nimis.

1.) apponitur adiectivis et adverbiis:
Asin. 582 *nimis aegre risu me continui.* Trin. 974 *Nimis argute me obrepsisti.* Epid. 281 *te commentum nimis astute intellego.* Pers. 169 *Nimis tandem me quidem pro barda . . reor habitam esse aps te.* Asin. 674 *nimis bella's atque amabilis.* Epid. 209. Stich. 375 *nimis factum bene.* Men. 1019 *nimis bene ora conmutavi.* Mil. 716 *nimis bona ratione . . ad te . . vides.* Most. 1142 *mihi tecum cavendumst, nimis qui's orator catus.* Truc. 467 *Bene si facere incepit, eampse nimis cito odium percipit.* Stich. 310 *Nimis haec res sine cura geritur.* Epid. 322 *Nimis diu maceror.* Merc. 166 *nimis diu animi pendeo.* Mil. 1310 *nimis morantur me diu.* Most. 292 *nimis diu apstineo manum.* Pers. 657 *dum quidem ne nimis diu tua sim volo.* Pers. 822 *nimis diu sicci sumus.* Pseud. 1243 *Nimis illic mortalis doctust, nimis vorsutus, nimis malus.* Mil. 1141 *nimis facete nimisque facunde malast.* Amph. 213 *Superbi nimis ferociter legatos nostros increpant.* Amph. 1117 *nimis formidolosum facinus praedicas.* Rud. 681 *nimis inepta's.* Rud. 1204 *nimis paene inepta et odiosa eius amatiost.* Asin. 410 *Nimis imperiosiust.* Aul. 106 *Nimis hercle invitus abeo.* Amph. 903 Poen. 541 *Nimis iracunda's.* Asin. 470. Bacch. 594. Men. 696 *Nimis iracunde.* Men. 94 *nimis lenta vincla sunt escaria.* Curc. 167 *est lepida.* || *nimis lepida.* Mil. 871 *Nimis lepida forma* sc. mulierem) *ducit.* Truc. 247 *Nimis pol mortalis lepidus nimisque probus dator.* Aul. 497 *Nimis lepide fecit verba.* Cas. 773 *Nimis lepide ei rei dant operam.* Cist. 267 *Nimis lepide (ex-)concinnavit hasce aedis.* Mil. 925 *nimis lepide fabulare.* Poen. 666 *nimis lepide de latrone, de Sparta optume.* Rud. 360 *nimis lepide iecisti bolum.* Epid. 376. 665. Pers. 167 *nimis longum loquor.* Men. 760 *nimis longus sermost.* Trin. 806 *nimis longo sermone utimur.* Poen. 841 *nimis eum ausculto lubens* Rud. 920 *nimisque id genus odi ego male.* Aul. 61. Pseud.

912 *nimisque ego hanc metuo male.* Aul. 208 *nimis male timui.* Capt. 913 *nimisque hercle ego illum male formidabam.* Pseud. 1019 *nimisque ego illunc hominem metuo et formido male.* Pseud. 299 *nimis misera sum.* Pers. 114 *nimis paene manest.* Amph. 828 *de illo suditivo Sosia mirumst nimis.* Amph. 858 *nimis ecastor facinus mirumst.* Pseud. 249 *nimis molestu's.* Bacch. 672 *nimis multo minus quam parum.* Men. 964 *nimis proventumst nequiter.* Mil. 1334 *capita inter se nimis nexa hisce habent.* Merc. 125 *nimis nihili tibicen siem.* Rud. 920 *nimis homo nihilist.* Mil. 1003 *illa ipsast nimium lepida nimisque nitida femina.* Cist. 264 *Nimis opportune mihi evenit.* Most. 292 *si pulcrast, nimis ornatast.* Truc. 136 *Nimis otiosum te arbitror hominem esse.* Trin. 1139 *Nimis pergraphicus sycophanta.* Pseud.. 124 *hoc pervolgatumst nimis.* Pers. 591 *nimis tu quidem stultus es pueriliter.* Amph. 218 *Legiones . . nimis pulcris armis praeditas.* Mil. 68 *Nimiast miseria nimis pulcrum esse hominem.* Rud. 1234 *nimis sancte piu's.* Amph. 506 *Nimis hic scitust sycophanta.* Amph. 442 *nimis similest mihi.* Men. 588 *me hodie nimis sollicitum cluens quidam habuit.* Most. 176 *nimis tu quidem stulta's mulier.* Men. 81. 701. Merc. 501 *Nimis stulte faciant.* Pers. 19 *Nimis stulte amicis utere.* Aul. 272 *subitumst nimis.* Pseud. 249 *Nimis superbe.* Merc. 597 *nimis tardus est.* Cas. 812 *nimis tenax es.* Aul. 750. Mil. 1062 *nimis vilest vinum.*

Deinde *nimis* legitur his locis, quibus codicum scriptura corrupta vel incerta esse videtur: Mil. 853 *in cella erit paulum nimis loculi lubrici* (BCD); *erat in cella paullum loc. lubr.* emendavit Ritschelius, *in cella paulum loculi erat nimis lubrici* Fleckeisenus, quem secutus est Langenus (Beitr. p. 335), *in cella erat non nimium loc. lubr.* Goetzius. Pseud. 205 sq. *Sed nimis sum stultus nimium fui Indoctus ne illi audeant id facere* (BCD). *Sed Vah nimius stultus nimis fui Inductus illine audeant cet.* (A), quos versus probabiliter emendatos sic edidit Goetzius: *Vah nimium stultus, nimis fui Indoctus cet.* Bacch. 770, ubi codices praebent: *Nimio illaec res est mane dividiae mihi*, restituit *nimis* Langenus (cfr. p. 17.)

Lacunam praebent libri Cas. 919 *Nimis tu equidem hercle*, ubi Lipsium secutus Ussingius inseruit: *audax es*, Dousa: *audacter*.

Coniecturis denique virorum doctorum debetur *nimis*: Capt. 530 *Nisi si [nimis scitam] aliquam corde machinor astutiam* (apposuit Schoellius), Epid. 695 *Nimis erunt obnoxiossae* (sic Goetzius; *nihil vero obnoxiosse* B.) Rud. 686 *edepol [nimis] hoc acerbum* (apposuit Schoellius).

2. Apponitur verbis: Mil. 468 *Nimis beat, quod conmeatus transtinet* Pseud. 916 *Nimis tandem ego aps te contemnor* Stich. 96 *Numquam enim nimis curare possunt suom patrem filiae* Mil. 835 *nam nimis calebat, amburebat gutturem.* Most. 576 *Scio te bona esse voce: ne clama nimis.* Bacch. 1083 *nimis nolo ei desidiae dare ludum* (ubi caveas, ne coniungas: *nimis nolo*; cfr. p. 15 sq.). Amph. 765 *nimis demiror.* Cas. 219 *coquos equidem nimis demiror.* Pseud. 201 *nimis . . ira incendor.* Curc. 321 *scire nimis lubet.* Mil. 1348 *metuoque et timeo . . nimis.* Men. 384 *nimis miror, quid hoc sit negoti.* Pers. 626 *nimis pavebam, ne peccaret.* Poen. 1204 *nimis placent nimisque addunt operam* (*minus* libri, em. Pius). Aul. 670 *Nimis hercle . . veniat velim.* Most. 266 *Nimis velim lapidem.* Pseud. 598 *nimis velim certum qui . . faciat.* Rud. 511 *Pulmonem edepol nimis velim vomitum vomas.* Rud. 662 *Nimis velim . . . edentaverint.* Stich. 312 *Nimis vellem . . . fugissent.* Stich 711 *Nimis vellem aliquid palpamenti.* Epid. 404 sq. *legitur in libris: num nimis potest Pudicitiam quisquam suae servare filiae*, quos versus sic emendavit Fleckeisenus: *numquam nimis potest Pudicitiam quis suae servare filiae.*

nimium.

1. apponitur adiectivis et adverbiis: Epid. 630 *nimium advenisti cito.* Curc. 207 *nimium consultas diu.* Men. 119 *Nimium ego te habui delicatam.* Most. 947 *nimium delicatu's.* Trin. 620 *Nimium difficilest reperiri amicum.* Epid. 2 *odio's nimium familiariter.* Rud. 420 *nimium familiariter.* Bacch. 73 *nimium ferus es.* Mil. 591 *Nimium festivam mulier operam praehibuit.* Pseud. 700 *Nimiumst mortalis graphicus*

(sic BCD, *sçitus A*). Trin. 936 *Nimium graphicum nugatorem.* Cas. 771 *nimium lepide dissimulant.* Mil. 998 *amat hunc hominem nimium lepidum.* Mil. 1003 *ipsast nimium lepida nimisque nitida femina.* Poen. 901 *Nimium lepidum memoras facinus.* Truc. 505 *Peperi puerum nimium lepidum.* Stich. 698 *Nimium lepide in mentem venit.* Stich. 748 *Nimium lepide fabulatast.* Aul. 537 *Nimium lubenter edi sermonem tuum.* Merc. 479 *nimium multum scis.* Trin. 931 *nimium mirimodis mirabilis.* Truc. 852 *nimium pol opportune egreditur foras.* Bacch. 74 *nimium pretiosast operaria.* Cist. 18 *raro nimium dabat, quod biberem* (minus recte *raro enim* scripsit Ussingius). Trin. 1060 *nimium, Stasime, saeviter.* Cas. 522 *nimium scite scitus es.* Merc. 526 *tondetur nimium scite.* Pseud. 1032 *nimium tarde egrediuntur foras.* Cist. 307 *nimium is vegrandi gradu.*

Praeterea *nimium* recte restituit Langenus Truc. 704 *nimium magnae mellinaest mihi*, ubi in codicibus legitur: *nimio magnae cet;* cfr. p. 17.

Coniectura Goetzius addidit *nimium* ad metrum sanandum Poen. 874: *Verum enim, qui homo eum norit, [nimium] cito homo pervorti potest.*

Inmerito denique huc refertur (cfr. Langen. Beitr. p. 334) Poen. 371: *Ego faxo si non irata es nimium pro te dabit*, quo in versu ab editoribus multum vexato *nimium* non adiectivo *irata* appositum est, sed accusativus adiectivi pendet a verbo *dabit.*

2. apponitur verbis: Trin. 28 *hic nimium morbus mores invasit bonos.* Merc. 695 *Nimium obsonavit.* Cas. 647. Truc. 896 *nimium saevis.* Merc. 686 *Nimium scis sapere.* Stich. 360 *hic hercle homo nimium sapit.* Cas. 250. Pseud. 889 *nimium tinnis.* Mil. 716 *nimiumque ad te et tuam vitam vides.*

Cum negatione *nimis* et *nimium* apud comicos numquam coniungi recte vidit Handius (Turs. IV., 210). Nam quod apud Plautum legitur Merc. 125 *nimis nihili tibicen siem* et Rud. 920 *nimis homo nihilist*, apparet *nihili* adiective dictum esse pro *malo, nequam;* et quod Bacch. 1083 Philoxenus dicit: *sed nimis nolo ei desidiae dare ludum*, hic *nimis* non cum

nolo coniungendum esse, sed cum *dare ludum* sensu verborum manifestum est: senex enim non prorsus negat filio licere animo obsequi, sed nimiae tantum eius desidiae obsistere vult. Nec de negatione cum *nimis* coniuncta cogitari potest Stich. 96 *nunquam enim nimis curare possunt suom patrem filiae* et Epid. 404 sq. *Nunquam nimis potest Pudicitiam quis suae servare filiae* (cfr. Fleckeisen. Philol. vol. II. p. 87).

Restat ut de formis *nimis* et *nimium* aliquid addam. Atque tantum abest, ut duae adverbii formae significatione vel usu diversae sint, ut contra in uno eodemque enuntiato non solum alterum succedat alteri, velut Mil. 1003 *ipsast niminm lepida nimisque nitida femina*, sed etiam eidem vocabulo apponantur una, velut Cas. 771 sqq. *nimium lepide dissimulant . . . digne autem coqui nimis lepide . . . dant operam.* Hoc vero constat *nimis* multo saepius inveniri quam *nimium* et utrumque adverbium saepius apponi adiectivis quam verbis, nam cum centum fere exstent exempla, ubi adiectivis vel adverbiis apponitur *nimis*, triginta fere locis sic positum invenitur *nimium*, et cum *nimis* verbis accedat quinque fere et viginti locis, novem locis legitur *nimium*. Vides proportionis rationem esse paene parem (3:1).

Praeter *nimis* et *nimium* aliae eiusdem adverbii formae positivo adiectivorum verbisque appositae apud Plautum non inveniuntur.

Nam nimie formam esse admodum recentem constat inter omnes (cfr. Woelfflin. p. 24).

At nimio, quod haud raro apponitur comparativo (cfr. Fraessdorf. p. 33), dictum esse pro *nimis*, *nimium* testantur grammatici. Julium Romanum enim secutus Charisius (p. 208K) affert Plauti versum (Bacch. 164): *nimio dociliter* et Naevii (frg. 13 R.) *nimio arte colligor.* Sed Bacch. illum versum sensu nexuque verborum rectius exhibent libri Plauti: *Nimio es tu ad istas res discipulus docilior quam ad illa*, et Naevii versus, quem non integrum esse consentiunt viri docti (cfr. Langenum p. 335), mihi nullius momenti esse videtur.

Duo autem exempla in libris exstant, ubi *nimio* positivo apponitur: Bacch. 770 *nimio illaec res est mane dividiae mihi* et Truc. 704 *istuc nimio magnae mellinaest mihi.* Sed cum exemplis triginta fere confirmetur Plautum positivo semper apposuisse accusativum *nimium*, et saepe accusativum *multum*, non ablativum *multo*, sic adhibitum esse modo viderimus (p. 9 sq.), deinde cum constet comparativis unice apponi ablativum (cfr Woelfflin. p. 35), duo exempla a Plauti usu aliena gravissimam praebent suspitionem; praeterea aliis quoque causis commotus in suspitionem ea vocavit Langenus (p. 333 sq.). Quae cum ita sint, tralaticiam scripturam, quamvis omnium librorum auctoritate probatam, censeo respuendam atque cum Langeno mutandam esse: Bacch. 770 *nimis illaec res est sane dividiae mihi*, Truc. 704 *istuc nimium magnae melinaest mihi.* Nullam vero omnino auctoritatem habent alia exempla, quae ad eum usum probandum allata sunt. Nam Pers. 94 *nimio crudus*, quod afferunt Spengelius (Truc. IV., 1. 6) et Woelfflinus (Archiv f. l. L. I., 96), Ritschelii coniecturae debetur, in codicibus legitur *nihil*, quod rectius Guyetus mutavit in *nimis.* Neque magis probanda est Bothii coniectura Men. 821 *Nimio hoc ludicre negas*, ubi *immo hec eludere negas* in codicibus legitur, *nimio* dederat Camerarius, rectius Vahlenus *immo hercle ludicre negas.* Denique errori tribuendum est Woelfflini, quod huc rettulit duos versus (Komp. p. 24): Bacch. 396 *nimio inpendiosum praestat te quam ingratum dicier*, nam luce clarius est ablativum *nimio* non cum *inpendiosum*, quod vir doctus docet, coniungendum esse, sed cum verbo comparativo *praestat*, et Stich. 703 sq. *Utrum Fontine an Libero Imperium te inhibere mavis?* || *nimio liquido Libero*, ubi ad *nimio* ex praecedentibus adiciendum est verbum *malo.* Itaque cum nec Charisii testimonio neque exemplis ex Plauto allatis confirmari possit ablativus *nimio* cum positivo coniunctus, eum usum a Plauto procul habendum esse censeo.

oppido.

Particula *oppido* a Plauto haud raro usurpata, quid proprie significaret atque unde orta esset, a grammaticorum veterum temporibus usque ad nostram aetatem sententiae prolatae sunt valde diversae. Nam ut omittam ineptam ac paene ridiculam etymologiam a Verrio Flacco inventam, exc. Fest. p. 184 M.: *Oppido: valde. ortum est autem hoc verbum ex sermone inter se confabulantium, quantumquisque frugum faceret, utque multitudo significaretur, saepe respondebatur, quantum vel oppido satis esset*; fuerunt, qui ab *ops do*, particulam derivarent, aut Graecum ἐπὶ πέδον compararent, ita ut ex *op pedom* suppressa littera *m* ortum esset *oppido* (*= bis auf den Boden, gründlich;* cfr. Doederlin. etymol. VI., 248, Langen. Anal. III., 11), aut explicarent, ut sit *op pedem* (*= was einem vor die Füsse kommt;* cfr. Ribbeck in libello de particulis p. 44); quam originationem cum olim comprobasset Woelfflinus (Komp. p. 21), postea (Archiv f. l. L. VI., 195) cogitavit de alia particulamque ab *oppidum* derivari vult, quod quidem non *urbem* (germ. *Stadt*) proprie significaret, sed moenia urbis et munimenta, ita ut *oppido* esset *fest.*

Sed hae etymologiae quam incerto nitantur fundamento nemo non intellegit; quare libere confiteri praestat, particula *oppido* unde orta sit, nos ignorare. De significatione tamen particulae satis constat *oppido* ad affirmandum usurpari similemque ac *valde* notionem continere. Videamus igitur, qua ratione hac particula Plautus usus sit.

1. apponitur adiectivis et adverbiis: Mil. 627 *tam tibi ego videor oppido Accheruntieus?* Mil. 634 *benignitas huius* (*sc. senis*) *oppido adulescentulist.* Merc. 245 *oppido hercle bene velle illud visus sum.* Rud. 207. *Hoc quod induta sum summae opes oppido.* Merc. 239 sq. *oppido Mihi illud videri mirum* (cum antecedentibus coniunxit *oppido* Goetzius proponens: *ambedisse [ilico] oppido. Mihi illud videri mirum*). Denique Ritschelius *oppido* ex coniectura addidit: Stich 307 *Sed*

spatium hoc occidit: [oppido] brevist curriculo; librorum lectionem . . . *occidit: brevest curriculo* defenderunt Spengelius, Goetzius.

2. apponitur verbis: Asin. 883 *me ex amore huius esse conruptum oppido.* Bacch. 869 *illorum ego animam amborum exsorbebo oppido.* Amph. 299. Aul. 728 *oppido interii.* Pseud. 425 *oppido opsaepta viast.* Most. 733 *oppido occidimus omnes.* Asin. 287 *Perii ego oppido.* Merc. 709 *hercle oppido perii miser.* Aul. 410 *totus doleo atque oppido perii.* Aul. 800. Pers. 741. Rud. 550 *perii oppido.* Most. 165 *periere haec oppido aedes.* Most. 136 *Perdidi operam fabrorum ilico oppido**). Most. 809 *Qualibet perambula aedis oppido tanquam tuas***). Curc. 134 *at pol ego oppido servata.* Huc spectat etiam Bacch. 681 *reddidisti?* || *reddidi.* || *omnene?* || *oppido*, ubi *oppido* idem significat, quod in antecedentibus verba *omne cum ramento reddidi.*

Iam sequuntur ea exempla, quorum lectio est incerta: Epid. 339 libri exhibent: *oppido hoc* (sc. argentum) *pollitum est* (B, *politum est* J); *hoc oppido pollinctumst* maluit Goetzius (cfr. Acta soc. Lips. VI., 288).

Deinde *oppido* in libris omissum metri causa additum est: Cist. 411 *meum elocutust nomen, interii [oppido]*, ubi *oppido* coniecturae antiquissimorum editorum debetur. Men. 903 *hominem, si quidem vivo, [oppido] vita evolvam sua,* ubi *oppido* adiecit Schoellius. Epid. 325 *interii hercle ego* [*oppido*], ubi *oppido* addidit Goetzius. Denique minus recte Schoellius scripsit *oppido* Rud. 933 *oppido circumveciabor: ubi nobilitas mea erit clara, Oppidum magnum commoenibo: ei ego urbi*

*) minus recte in priore editione Lorenzius coniungi voluit *ilico oppido* = *gleich auf der Stelle*, quae explicatio etsi non omnino improbanda videtur, tamen ad usum Plauti minus quadrat, nec recte Lorenzius dicit: *oppido verstärkt in dieser Verbindung öfter das ilico;* nam eiusmodi exemplum apud Plautum et Terentium invenitur nullum, nisi recte addidisse putaveris Goetzium *oppido* Merc. 239 *ambedisse ilico [oppido]*; cfr. p. 18. Iure igitur in altera editione Lorenzius coniunxit *perdidi oppido.*

**) Lorenzius in priore editione coniunxit *oppido tanquam*, quod haud quemquam puto comprobaturum esse; in altera hunc versum silentio praeterit, nisi quod ad Mil. 634 adnotat cum in aliis tum in hoc Most. versu *oppido* adiungi singulis vocabulis.

Gripo indam nomen, in codicibus legitur *oppida circumvectabor cet.*; Gripus enim servus thesauro invento, quid postea sit gesturus, iactans enumerat. Ad metrum in priore versu restituendum alii aliud temptaverunt (vid. Schoellii adnotationem). Ipse Schoellius igitur scripsit *oppido* comparato Most. 809 *perambula oppido;* nam *oppida* ne apte quidem dici censet sequentibus verbis *oppidum magnum commoenibo.* Sed aptissime, ut mihi viditur, priore loco additur *oppida;* nam hoc ipsum cum eloquitur servulus magnas res in mente agitans perducitur, ut non solum oppida visere, verum etiam vel ipse condere velit; deinde illud repugnat coniecturae Schoellii, quod *oppido circumvectabor* nullo obiecto apposito significans *ubique circumvectabor*, ut mihi quidem videtur, tolerari nequit. Simplicissime metrum sanatur accepta Bothii mutatione *circumvectitabor*, quam probavit Fleckeisenus.

Itaque cum apud Plautum non desint quidem exempla, quibus *oppido* accedit adiectivis, sed multo saepius inveniantur, quibus apponitur verbis: prorsus mutatam rem videmus apud Terentium, qui numquam *oppido* adiunxit verbis, sed solis adiectivis (cfr. Langenum, Anal. l. s. s.). Denique post Livium *oppido* prorsus evanuit et a Quintiliano pro exoleto habetur.

valde.

Adverbium *valde*, quod a Cicerone adiectivis verbisque apponitur saepissime, apud Plautum multo rarius invenitur.

1. adiectivo apponitur uno tantum loco: Pseud. 145 *Ita ego vostra latera loris faciam, ut valide varia sint*, ubi allitterationis studio deberi videtur a Plauto summa licentia usurpatae (cfr. Woelfflin. p. 9).

2. aliquanto saepius apponitur verbis: Merc. 42 *Amare valide coepi hinc meretricem.* Mil. 852 *valide cassabant cadi.* frg. 84 *uterque valde deamat.* Rud. 303 *ut nunc valide fluctuat mare.* Merc. 50 *Lacerari valide suam rem.* Merc. 103 *videte, quam mihi valde placuerit.* Amph. 1062. 1130 *valide tonuit.* Pers. 427 *tua vox valide valet.*

3. ad totum enuntiatum affirmandum apponitur in responsionibus: Pseud. 344 *Meam tu amicam vendidisti?* || *valde.* Pseud. 364 *Legirupa* (sc. es). || *valide:* || *pernicies adulescentum.* || *acerrume.*

Apparet igitur apud Plautum nullo discrimine legi *valide* et *valde*, saepius tamen pleniorem et antiquiorem formam *valide;* rarissime vero verbo adverbium postponi. Atque ea significatio, quam proprie *valde* continet: *graviter*, *vehementer*, plurimis locis non adeo debilitata est, ut adverbium dicatur pro simplici particula angendi, sed eis potissimum apponitur verbis, quae aliquid continent *ingens vehemensque*; uno tantum loco propria significatio plane oblitterata esse videtur, eum dico, quo *valde* apponitur verbo *placeo* (Merc. 103).

sane.

Particulam *sane* positam esse pro *valde* testantur grammatici (Charisius p. 218. 8 K., Priscianus II. p. 71. 12 K.); multo autem saepius non singula affirmat verba, sed totum enuntiatum, similiter dictum ac *certe*, *profecto*, *vero*, unde exorta est ea adverbii significatio, quam vocamus *concessivam.*

1. apponitur adiectivis et adverbiis:

a. ipsa notio affirmatur: Asin: 386 sq. *nolo ego foras conservas Meas a te verbarier: sane ego sum amicus nostris.* Capt. 188 *Asper meus victus sane est* (nam ut parasitum esurientem deterreat, Hegio victum suum asperrimum esse dicit). Asin. prol. 8 *Nam quod ad argumentum attinet, sane brevest.* Poen. 283 sq. *paenitet Exornatae ut simus.* || *immo vero sane commode.* Mil. 1116 *Nam cum illa sane congruost sermo tibi.* Poen. 1303 *sane genus hoc mulierosumst.*

b. totum enuntiatum affirmatur: Stich. 392 *Hercules, qui deus es, sane discessisti non bene* (i. e. sane male discessisti). Cist. 235 sq. *meretricem adstare in via Solam prostibuli sane est.* Asin. 646 *vin erum deludi?* || *dignust sane.* Pers. 447 *Sapienter sane.* Trin. 783 *Scite hercle sane.* Mil. 882 *Quam sane magni referat, nil clamst* (sic Brixius, Goetzius; *mihi clam est* Ritschelius). Denique Brixius coniectura

olim adiecerat *sane* Trin. 625, ubi libri praebent: *Haud ineuscheme astiterunt*, Brixius scripserat: *Haud sane euscheme astiterunt.*

2. apponitur verbis: Ipsam verbi notionem adverbio *sane* auctam non inveni, sed ubicunque *sane* adponitur verbis, universum affirmat enuntiatum.

a. apponitur imperativis: Amph. 352 *abi sane*; Men. 154. Pseud. 1326 *age sane*; Pers. 500 *cedo sane*; Merc. 677 *da sane*; Stich. 553 *dato sane*; Amph. 349 *esto sane*; Amph. 971. Asin. 676. Aul. 333. 451. Pers. 198. 574. 605. Rud. 386. Trin. 195 *i sane*; Asin. 464 *nosce sane*; Merc. 500 *sequere sane*; Epid. 731 *solve sane.*

b. dicitur in responsionibus: Curc. 279 *sane censeo*; Stich. 618 *sane faciundum censeo*; Cas. 740 *sapis sane*; Men. 790 *sane sapit*; Cas 273. Merc. 485. Poen. 1079. Rud. 1407 *sane volo.* Epid. 283 pro corrupta librorum scriptura *vive sapis* Goetzius proposuit *sane sapit*, exempli causa.

c. ponitur in integro enuntiato: Men. 345 *Aps qua cavendum nobis sane censeo.* Men. 1157 *Auctio fit Menaechmi mane sane septimi.* Merc. 922 *Sane hoc non in mentem venit dudum.* Cist. 239 *sane ego me nolo fortem perhiberi virum.* Curc. 171 *sane haud quidquamst magis quod cupiam.* Most. 628 *ne sane id multum censeas.* Men. 821 *Sane ego illum metuo.* Trin. 58 *Dum quidem tecum nupta sit, sane velim* (sc. uxorem esse superstitem). Denique Bacch. 770 pro corrupta librorum scriptura *Nimio illaec res est mane dividiae mihi* recte Langenus scripsit: *Nimis illaec res est sane dividiae mihi*, quod probavit Goetzius; nam quod Ritschelius dederat *magnae dividiae* mihi, ab usu Plauti alienum esse Langenus demonstravit (*Beitr. p. 333*).

vehementer.

Eadem ratione, qua *valde*, Plautus usurpat etiam adverbium *vehementer.*

1. adiectivo apponitur: Truc. 545 *Vehementer nunc mist irata*, ubi adiectivum a verbi natura haud ita distare videtur.

2. verbis apponitur: Capt. 667 *Adstringite isti sultis vehementer manus.* Epid. 276 *ames vehementer tu illam.* Curc. 724 *te vehementer perire cupio.* Mil. 205 *vehementer eicit* (i. e. *plectit*). Rud. 903 *fluctuare video vehementer mare.* Most. 841 *ea mihi profecto cuncta vehementer placent.* Bacch. 1158 *Tactus sum vehementer visco.* Curc. 568 *Vapulare ego te vehementer iubeo.* Similiter igitur ac *valde* eis verbis potissimum accedit *vehementer*, quae indicant *vehemens* aliquid *violentumque*, atque uno tantum loco propria significatio adeo oblitterata est, ut *vehementer* apponatur verbo *placeo* (Most. 841). Ita vero, ut ea verba affirmet, quae neque commotionem ullam animi nec roboris et gravitatis notionem continent, velut in Coelii ad Ciceronem epistula legitur (ad fam. *VIII.*, *8*): *haec res vehementer ad me pertinet*, quamvis hanc locutionem ad vulgarem sermonem referendam esse non negaverim, apud Plautum *vehementer* non invenitur.

satis.

Adverbium *satis* proprie significare id, quod sufficit, inter omnes constat; nonnumquam tamen apud Plautum sensu nexuque verborum, quibus apponitur, rectius sic explicandum esse videtur, ut sit *valde*, *recte* (cfr. Woelfflin. p. 23). Sed cum altera significatio haud ita discrepet ab altera, et ad quam notionem singula exempla revocanda sint, certo definiri nequeat, praestat enumerare exempla, quibus Plautus particulam *satis* ad vim verborum augendam adhibuit.

1. apponitur adiectivis et adverbiis: Cas. 303 *satin omnes res sunt advorsae mihi?* Trin. 556 *dixti [tu] arcano satis.* Amph. 838 *Satis audacter.* Curc. 243 *salsura sat bonast.* Most. 827 *satis boni sunt.* Poen. 285 *satis bene ornatae sumus.* Cist. 334 *Satin istuc tibi in corde certum est?* Bacch. 130 sq. *satis ut commode . . haec concuret coquos.* Most. 254 *satin conpositust commode?* Pers. 547 *Sat edepol concinnast facie.* Asin. 517 *Satis dicacula's amatrix.* Aul. 160 *dives sum satis.* Most. 228 *sat ero dives.* Capt. 792 *satis diu vixisse sese homo arbitrabitur.* Pseud. 1273 *intuli illi satis facete.* Capt. 965 *Satis facundu's.* Pers. 841 *nec sat liber videtur sibi nec sat frugi nec*

sat honestus. Bacch. 992 *grandes satis sunt.* Merc. 403 *matrem satis honeste tuam sequi poterit.* Cas. 935 *satin lepide* [*ab ea*] *aditast manus? (addita est* libri, emendavit Camerarius); Pseud. 388 *sat hic longae fiunt fabulae.* Pseud. 134 *satin magnificus tibi videtur?* Cas. 896 *satin morigerast?* Rud. 462 *Satin nequam sum? (satis* libri, correxit Bothius). Most. 293 *ornata's satis.* Amph. 633 *Satin parva res est voluptatum in vita atque in aetate agunda?* Amph. 578 *Satin hoc plane, satin diserte esse . . videor tibi locutus?* Pers. 183 *Satin haec tibi sunt plana et certa?* Mil. 918 *carina satis probe fundata et bene statuta est (profundata* libri, corr. Acidalius). Stich. 737 *sat mihi pulcra's (satis* libri corr. Ritschelius). Epid. 5 *Satis recte oculis utere.* Men. 741 *satin haec recte fabulor?* Most. 1109 *vide sis, satine recte* (sc. *emunxerim).* Pers. 603 *satis recte mones.* Rud. 829 *ignavi homines satis recte monent.* Trin. 1177 *satine salvae? (salve* libri, corr. Camerarius; vid. Brixii adnotat.) Amph. 604. Cas. 298. Men. 541. Merc. 682. Trin. 454. *satin tu sanu's?* Bacch. 627 *sanus satis non es.* Cist. 245 *sanus hic non est satis.* Men. 312. 390 *non sanu's satis.* Men. 945 *Satin haec pro sano . . respondeo?* Merc. 370 *non quievi satis mea ex sententia.* Pers. 10. 18 *satis sum ero ex sententia.* Epid. 634 *Satin ego oculis utilitatem optineo sincere an parum?* Trin. 786 *satis scite et probe.* Mil. 355 *metuo ut satis sit subdola.* Rud. 320 *duceret mulierculas . . satis venustas.* Praeterea Merc. 755 libri praebent: *Satis scitum filum* (A, *filium* BCD) *mulieris* ubi pro *scitum* maluerunt *spissum* Ritschelius, Goetzius, *scitum* defendit Langenus (p. 118). Denique frg. 130 (= Vid. 1,7 St.) ex A excussit Studemundus: *Dare possum, opinor, satis bonum operarium,**) sed ut hiatus evitaretur *satis bonum* | *operarium*, ipse commendavit *si vis bonum operarium*, quod in textum recepit Winterus; hiatum defendit Luchsius (Studem. stud. I., 23).

2. apponitur verbis Merc. 655 *id fore ita satis animo acceptumst.* Pers. 477; Capt. 929 *satis iam audivi.* Men. 602. Pseud. 166; Capt. 227 *hoc non liquet nec satis cogitatumst.*

*) minus accurate *sat bonus* Woelfflinus, Komp. p. 23.

Pseud. 935 *vide, ornatus hic me satin condecet?* Curc. 188 *nequeunt conplecti satis.* Trin. 623 *Nescio quid non satis inter eos convenit.* Curc. 714. Poen. 764 *satis credo tibi.* Most. 166 *Contempla . . satin haec me vestis deceat.* Amph. 1097 *quando satis deluseris.* Epid. 239 *Nec satis exaudibam nec sermonis fallebar.* Most. 650. Poen. 171. Mil. 877 *satin intellegis?* Men. 825 *satis iocatu's.* Truc. 330 *properet . . ut satis laverit.* Trin. 233 *De hac re mihi satis hau liquet.* Epid. 666 sq. *Satine illic homo ludibrio nos . . Habet?* Merc. 495 *Satin istuc mandatumst?* Pers. 559 *Haec unde aberunt, ea urbs moenita muro sat erit simplici* (haec ex A eruit Studemundus, minus accurate Ritschelius ediderat: *Haec unde aberunt, [sana et salva] sat erit sem [per civitas].* Trin. 1132 *hoc nequeo mirari satis.* Poen. 214 sq. *Neque unquam sat istae duae res ornantur Neque eis ulla ornandi satis satietas est.* Mil. 574 *satine ornatu's?* Cas. 598 *Satin propter te pereo atque occasio?* Men. 622. Mil. 1189. Trin. 322 *istuc satis placet.* Mil. 1173 *satin praeceptumst?* || *teneo.* Amph. 1059 *Caput dolet neque audio neque oculis perspicio satis.* Mil. 964 *ingenuis satis responsare nequeas.* Amph. 904. Mil. 885. Most. 928. Trin. 686 *sapias satis.* Pseud. 914 *Istuc ego satis scio.* Aul. 561. Mil. 1196. Most. 709. Poen. 226. Stich. 337. Trin. 832 *sat scio.* Pseud. 1056 *sat certo scio.* Mil. 586 *sat edepol certo scio.* Pseud. 1204 libri praebent: *Non confidit sycophanta hic nequam est nugis meditatur male*; versum prorsus depravatum dubitanter sic dedit Ritschelius: *Satin confidit nequam? nugas haud est meditatus male:* alii aliud temptaverunt (vid. Goetzii adnot.).

3. in interrogationibus *satin* nonnumquam non uni cuidam adiectivo sive verbo apponitur, sed dicitur pro *satisne est* et totum affirmat enuntiatum, similiter positum ac *nonne* (nos: *wirklich?* cfr. Lorenz. Most. 76. Brix. Trin. 925). Men. 522 sq. *satine, ut quemque conspicor, Ita me ludificant?* Merc. 337 sq. *Satin . . Proprium nequit mihi esse id, quod cupio?* Mil. 393 *Satin eadem vigilanti expetunt, quae in somnis visa memoras?* Mil. 481 *Satin abiit ille neque . . curat?* Mil. 999 *satin haec quoque me deperit?* Most. 76 *Satin abiit neque quod*

dixi flocci existumat? Pseud. 1316 *satin ultro et argentum aufert et me inridet?* Rud. 1193 sq. *Satin si quoii homini dei esse bene factum volunt Aliquo illud pacto optingit optatum piis?* (versus 1193—96 damnavit Langenus, Plaut. Stud. p. 369 sq.). Trin. 925 *Satin . . latuit vir minumi preti?* Trin. 1013 sq. *satin in thermipolio Condalium es oblitus.* Truc. 553 *Satin siquis amat nequit quin nihili sit?*

Apparet igitur *satis* saepissime praemitti adiectivis et verbis; semper vero anteponi apocopen *sat* et usu probatur et per se consentaneum est, quippe quae postposita facile careret omni gravitate. Iam quaerentibus, num quod discrimen in Plauti usu sit integrae formae et decurtatae, manifestum est utramque formam non certis legibus esse adstrictam sed promiscue poni et ante vocales et ante consonantes. Denique in interrogationibus ubique invenitur, adiecta particula *nē*, forma *satin*; itaque quod Brixius scripsit Capt. 965 *Satis facundu's?* et Men. 825 *satis iocatus es?* rectius cum Schoellio legitur ita, ut interrogationis nota tollatur.

admodum.

Ad significationem particulae *satis* prope accedit *admodum* quod adverbium, ut ex ipsa compositione apparet, id indicat, quod rei modus admittit, *usque ad modum* (völlig); iure igitur Woelfflinus (Komp. p. 22) eorum improbat interpretationem, qui explicant: *paene, fere* (nos: *maessig, ziemlich*).*)

1. apponitur adiectivis et adverbiis: Trin. 366 *hic admodum adulescentulust.* Men. 255 *Viaticati hercle admodum aestive sumus.* Trin. 593 sq. *admodum In ambiguost.* Amph 268 *me malum esse oportet, callidum, astutum admodum.* Pseud. 962 *admodum incerto scio.* Bacch. 501 *incertum admodumst.* Poen. 246 *Insulsae admodum atque invenustatis plenae.* Pseud. 1220 *admodum magnis pedibus.* Men. 622 *Tristis admodumst.* Cum negatione coniungitur: Merc. 399 *Horunc illa nihilum quicquam facere poterit admodum* (h. e. *omnino nihil*, nam vanam existimo eorum subtilitatem, qui discrimen esse volu-

*) Numerorum nominibus appositum, unde petita esse videtnr interpretatio *ziemlich*, apud Plautum *admodum* invenitur numquam.

erunt in positione particulae *admodum* vertentes *nihil admodum: soviel wie nichts, admodum nihil: ganz und gar nichts* (Hand. Turs. I., 173 sq.), nec quicquam obstat, quominus utrique locutioni eandem significationem tribuamus, qua negatio ponitur absoluta).

2. apponitur verbis: Epid. 104 sq. *admodum Meorum maerorum atque amorum summam edictavi tibi.* Most. 812 *Ergo inridere ne videare et gestire admodum.* Trin. 665 *Pernovi . . ingenium tuom et ingenuum admodum* (cum verbo recte coniungit Brixius).

3. in responsionibus colloquentes particula *admodum* utuntur, ut rem sic ut antea dictum erat, se habere concedant, addita certa affirmationis vi. Bacch. 838 *Bellan videtur specie mulier?* ‖ *admodum.* Bacch. 1110 sq. *Num quidnam ad filium haec aegritudo attinet?* ‖ *Admodum.* Pseud. 1152 sq. *Macedonius?* ‖ *Admodum, inquam.* Rud. 141 *Qui vocavit nullus venit?* ‖ *admodum.* Rud. 269 *Estis vectae?* ‖ *admodum.* Rud. 841 *De ara deripere Veneris voluit?* ‖ *admodum.* Rud. 1080 sq. *Nempe tu hanc dicis . . . . ?* ‖ *Admodum.* Trin. 421 *Et ille aedis mancupio aps te accepit?* ‖ *admodum.*

Itaque cum *admodum* adiectivis verbisque et praemittatur et postponatur nonnumquam, contra particula *adfatim*, quamquam eandem atque *admodum* prae se fert originem, apud Plautum non adhibetur ad affirmandum.*)

---

*) Adfatim aput Plautum legitur his locis: Cist. 238 *aliorum adfatim est.* cfr. Men. 457, Mil. 980; Bacch. 497 *Adfatimst;* Poen. 867 *quoi domi sit, quod edis . . adfatim;* Men 91 sq. *quod edit . . praebeas Suo arbitratu usque adfatim.* cfr. Poen. 534; Trin. 1185 *miseria una uni quidem hominist adfatim;* cfr. Gell. VI (VII), 7. 3. Itaque quod Schmalzius dicit (Muelleri Handbuch II., 540): *admodum „völlig", ist häufig auch in der klassischen Sprache, welche adfatim noch gar nicht kennt; dies ist vielleicht bei Publil. Syrus zuerst aufgetreten* non sic intellegendum est, ut *adfatim* ab antiquis omnino non sit usurpata, sed cum illo loco vir doctus in universum disserat de particulis ad affirmandum adhibitis, verba modo allata, quamvis parum accurate dicta sint, hoc videntur indicare: *adfatim* apud classicos nondum continere vim affirmandi. Woelfflinus quidem, quem in ea re Schmalzius secutus esse videtur, accuratius protulerat (Komp. p. 22): *adfatim . . wird nur selten Eigenschaftswörtern vorangestellt, zuerst vielleicht . . Publil. Syrus 663.*

longe.

Longe proprie continet significationem loci (nos: *weit)*, velut Most. 390 *fugiat longe ab aedibus.**) Deinde adhibetur ad notionem augendam.

1. apponitur adiectivis et adverbiis: Epid. 579 *aliter catuli longe olent, aliter suis.* Truc. 171 *longe alter est amicus atque amator (alter* pro *aliter*, quod libri praebent, restituit Acidalius). Asin. 205 *Longe aliam* (sc. orationem), *inquam, praebes nunc* (versum delevit Fleckeisenus ut ex praecedente *Aliam nunc mi orationem despoliato praedicas* fictum) Superlativo adiectivorum a Cicerone *longe* apponitur saepissime, apud Plautum uno tantum loco: Most. 911 *longe omnium longissumast*, ubi nimirum consonorum verborum studio inductus poëta adverbio *longe* usus est.

2. apponitur verbis: Bacch. 1089 *Solus ego omnes longe antideo stultitia.* Epid. 403 *Divortunt mores virgini longe ac lupae.* Asin. 629 *Ut vostrae fortunae meis praecedant, Libane, longe.* Omisso igitur illo Most. versu singulariter dicto apparet *longe* adiectivis verbisque non accedere nisi comparativam vim continentibus; nam *alius, alter* comparativam prae se ferunt formam, verba *antideo, divorto, praecedo* autem comparativis adnumeranda esse nemo nescit. Itaque haud inepte putat Woelfflinus ab hoc Plauti usu petendam esse posterorum consuetudinem *longe* adverbium comparativo praemittendi, quam inveniri docet primum apud scriptorem belli Africani et apud Sallustium (Komp. p. 38 sq.)

prorsus.

Similiter ac *longe* proprie significationem loci continet particula *prorsus*, exprimens aut *pro versus, porro*, velut Pseud. 955 *Ut transvorsus, non provorsus cedit quasi cancer solet* (*Non prorsus verum ex transverso cedit cet.* libri, genuinam lectionem servavit Varro, de l. l. VII., 81), aut *recta via*, velut Mil. 1193 *prorsus Athenas abibo.* Deinde adhibetur ad affirmandum.

*) cfr. etiam Bacch. 423. Cist. 416. Merc. 894. Most. 393. Rud prol. 66. 255. 267.

1. adiectivis apponitur: Asin. 748 *Nam tu poëta's prorsus ad eam rem unicus.* Trin. 729 sq. *nullo modo Potest fieri prosus quin dos detur virgini.*

2. verbis apponitur: Pers. 477 *ita prosum* (CD, *prorsum* B) *credebam omnibus.* Stich. 718 *Nollo ego nos prosum hoc ebibere.* Epid. 582 *argentum egurgitem domo prosus* (sic A, *prorsum* B). Aul. 397 *Sed cesso priusquam prorsus perii currere?* Curc. 681 *Non male creditur, qui numquam reddunt, sed prorsus perit.*

De forma particulae Ritschelius docet (op. II., 261 sqq.) nullo discrimine apud Plautum inveniri *prorsus, prorsum* et *prosus, prosum* extrita littera *r.*

plane.

Item ac *prorsus* a loci significatione originem duxit adverbium *plane;* proprie enim opponitur ei, quod *proclive* vel *asperum* est et significat *eben, gerade,* quod apud Plautum exstat uno, ni fallor, loco: Asin. 663, ubi cum Argyrippus dixisset: *Hic pone hic istam cruminam in collo plane* (v. 657), ob ambiguum sensum respondet Leonida: *Nam istuc proclivest, quo iubes me plane conlocare.* Iam translate *plane* dici pro *clare, diserte* notum est, neque apud Plautum desunt eius usus exempla. Deinde continet vim affirmandi.

1. apponitur adiectivis: Merc. 314 sq. *plane decrepitus senex Tantidemst, quasi sit signum pictum in pariete* (sic A, *plane vetulus senex* reliqui). Mil. 650 *plane educatum in nutricatu Veneris (educatum* restituit Bentleius, *eductum* libri). Poen. 1158 *Mi patrue, salve: nam nunc es plane meus.* Most. 194 *stulta's plane.*

2. apponitur verbis: Epid. 95 *plane hoc conruptumst caput.* Mil. 936 *hoc si efficiam plane.* Men. 667 *ex hac familia me plane excidisse intellego.* Pseud. 1213 *plane perdidisti mulierem.* Most. 536 *Nunc pol ego perii plane in perpetuom modum.* Stich. 497 *Perii hercle vero plane.* Trin. 515 *plane periimus.* Epid. 491 *tibi os est sublitum plane et probe.* Truc. 707 *Salvos sum quia pereo: si non peream, plane perierim (perierim* Goellerus scripsit pro corrupta codicum lectione *uriem; interierim* commendavit Weisius, de *esurierim* cogitat Schoellius).

3. affirmat enuntiatum: Asin. 657 *hic istam conloca cruminam in collo plane.* Pers. 838 *sum tibi patronus plane.* Poen. prol. 113 *Poenus planest.* Most. 236 *plane est sagina.* Trin. 860 *ut me esse ipsum plane sycophantam sentiat* (vid. Brixii adnotat.). In responsionibus dicitur: Truc. 618 *Tum pol ego et donis privatus sum et perii.* || *plane istuc est.* Epid. 409 *Hanc edepol rem adparabat.* || *plane hercle hoc quidemst* (in B totus versus datur Periphani; verba *plane — quidemst* Apoecidi tribuit Goetzius).

adprime. prime. cumprime.

Adprime raro apud Plautum invenitur nec nisi appositum adiectivis. Legitur enim: Cist. 127 *Adulescens quidam hic est adprime probus* (versus 127—130 in suspitionem vocavit Ritschelius). Rud. 735 *tu's homo adprime probus.* Trin. 373 *Scin tu illum quo genere gnatus sit?* || *scio, adprime probo.* Denique coniecturae Scaligeri debetur *adprime:* Mil. 794, ubi codices exhibent: *At scietis. sed ecqua ancillast illi?* || *est primicata; est adprime cata* Scaligerum secuti scripserunt Lorenzius et Brixius, *est prime cata* cum Salmasio maluerunt Ritschelius, Ribbeckius, Goetzius; vv. 596—812 Plauti esse negat Langenus (Plaut. Stud. p. 315). Praefero coniecturam Salmasii. Nam quamquam simplex adverbium *prime* apud Plautum in libris saltem non invenitur, tamen cum in Naevii versu (frg. 1 R.) a Charisio laudato (p. 211, 7 K.) legatur: *Acontizomenus est fabula prime proba,* causam non video, cur *prime* procul habeamus a Plauto, qua forma accepta verba illa Mil. manifesto corrupta sanantur simplicissime. Similiter Truc. 454 *prima de me domo docta (modo dicta* libri) vix dubitari potest, quin pro *prima* recte *prime* restituerit Seyffertus *(primum* scripsit Bothius, *pridem* Fleckeisenus); sane quidem quod Schoellius eam Seyfferti emendationem ex Charisio sibi stabilivisse videtur, haud quenquam comprobaturum esse existimo; nam cum apud grammaticum (l. l.) exstet: *Prime Plautus in Acontizomeno: Acontizomenus cet.* multo probabilius cum Keilio legitur: *Naevius in Acontizomeno,*

quam, ut Schoellio videtur: *Plautus in <. . item Naevius in> Acontizomeno,* ut post *Plautus in* interciderit *Truculento: ego prime de me domo docta.*

Contra adverbium *cumprime* in antiquiore sermone non invenitur, eadem autem notione usurpatur *cum primis,* quod apud Plautum uno loco legitur: Truc. 660 *Eradicare certumst cumprimis patrem.* Itaque Woelfflinus, cum olim contendisset (Komp. p. 18. 25.) *cumprime,* similiter atque *adprime* a *prime* derivatum, principalem esse formam, *cum primis* autem, analogia vocabuli *inprimis* dictum, recentiori sermoni deberi, libere se errasse confessus est (Archiv f. l. L. I., 99.)

Hic adponam eas formulas, quae similiter ac *cum primis* compositae paene induerunt naturam formamque adverbii notionem augentis.

Inprimis et praeter ceteros quae Ciceroni tritissima esse nemo nescit, a Plauti sermone sunt aliena; inveniuntur autem:

inter alios: Poen. 1193 *Sicut nos hodie inter alios praestitimus pulcritudine.*

praeter omnes: Amph. 640 *quem ego amo praeter omnes.*

praeter alios: Asin. 856 *At scelesta ego praeter alios meum virum rata sum probum* (sic cum Goetzio scribo, *virum frugi rata* codd.; *fui rata* scripsit Fleckeisenus, *egregium rata* Ussingius).*)

Iam priusquam ad alteram disputationis partem transeam, pauca addam de vocabulis perquam, admodum quam, nimis quam. Primum enim, sicut simplex particula quam exclamationis instar haud raro adhibetur ad notionem augendam et adiectivorum et verborum, velut Amph. 1130 *quam valide tonuit,* Most. 543 *ei quam timeo miser,* ita adiecta syllaba *per* invenitur perquam, quod bis apud Plautum

*) Etiam superlativo accedunt eiusmodi locutiones: Trin. 824 *tibi ego, Neptune, ante alios deos gratis ago atque habeo summas.* Asin. 858 *scito illum ante omnes minumi mortalem preti.* Poen. 1203 *Multa mulierum sunt vitia: sed hoc e multis maxumumst.* Most. 357 *Illi ego ex omnibus optume volo.* Truc. 187 *te unum ex omnibus amat.* Amph. 772 *illud praeter alia mira miror maxume.* Aliquanto saepius tamen sic usurpatur genetivus, velut Truc. 591 *honorem illi habere omnium maxumum*

legitur, appositum adiectivo et adverbio: Rud. 672 *Reppulit, propulit perquam indignis modis.* Bacch. 545 *tu illorum mores perquam meditate tenes* (versum in suspitionem vocare videtur Ritschelius; apud Charisium enim, qui ea verba laudat 205,5 K., sequuntur haec: *in quibusdam non ferunt,* quod Ritschelius in . . *feruntur* commutans ita intellegi vult, ut versus Plauti in quibusdam exemplaribus non legi dicerentur; sed apud grammaticum de lacuna cogitandum esse vidit Keilius).

Deinde quam coniungitur cum adverbiis, quae ipsa quoque per se posita vim augendi continent, ita ut duo genera dicendi conflata esse videantur (cfr. Brix. Capt. 98). Cuius generis exempla apud recentiores scriptores inveniuntur saepius, ut *mire quam, oppido quam, sane quam, valde quam* (cfr. Woelfflin. Komp. p. 27 sq.), Plautus duo eiusmodi praebet exempla:

admodum quam: Amph. 541 *ex amore hic admodum quam saevos est.*

nimis quam: Most. 511 *nimis quam formido.* Capt. 102 *Quod quidem ego nimis quam cupio ut inpetret* (versum una cum sequentibus quinque interpolatum esse suspicatur Langenus, Beitr. p. 206 sqq. ad metrum sanandum *cupide cupio, ut inpetret* scripsit Spengelius, *cupide fieri cupio ut inpetret* Schoellius). Praeterea in duobus Truc. versibus (468. 469) *nimis quam* probabili coniectura restitutum esse videtur: *Nimis quem (quam* Camerarius*) paucae sunt defessae, male quod facere occeperunt. Nimisque (quam* Guyetus*) paucae ecficiunt, si quid facere bene occeperunt;* sed prior versus in B omissus non levem praebet dubitationem rectiusque cum Kiesslingio, Fleckeiseno, Schoellio pro interpolato habetur, in altero *nimisque* tuentur Spengelius, Kiesslingius. Admodum incertum vero est, quod Truc. 507 Spengelius et Schoellius scripserunt *nimisquam tui similest,* ubi *nimium quidvi* est in codicibus, *nimium quantum* scripsit Pareus, *nimium quam* Bothius, *nimium* || *quid?* || *tui similest* Seyffertus. Denique Pseud. 598, ubi in codicibus legitur *nimis velim certum qui id mihi faciat,* Fleckeisenus scribendum coniecit *nimis quam velim cet.,* librorum lectionem iure revocavit Goetzius.

Caput II.

De adverbiis qualitatis ad notionem augendam usurpatis.

Plauti ubertate ac varietate dicendi fit, ut non ea tantum adverbia ad affirmandum adhibeantur, quae proprie vim affirmandi continent, sed nonnumquam ea quoque assumantur, quae qualitatem quandam indicant. Sane haec adverbia non adeo debilibantur, ut innata notione oblitterata ponantur simplici affirmandi vi, sed semper retinent eam, quam proprie indicant, qualitatem: attamen cum haud raro sine dubio affirment notionem verborum, quibus apponuntur, etiam de adverbiis qualitatis accuratius quaerere operae pretium est. Quod sic instituam, ut primum ea ponam adverbia, quae bonae notionis sunt, tum ea, quae malae.

A. adverbia bonae notionis.

bene.

1. apponitur adiectivis et participiis adiectivi more usurpatis: Capt. 966 *bene morigerus fuit puer.* Cas. 596 *ut bene vocivas aedis fecisti mihi.* Stich. 745 *Bene quom lauta, tersa, ornata, fictast, infictast tamen.* frg. 94 *hic bene potus primulo crepusculo.*

2. apponitur verbis:

a. verbis bonae notionis: Capt. 138 *di te bene ament* (v. Brix. in Capt. 134). Curc. 577 sq. *At ita meae volsellae, pecten, calamistrum meum Bene me amassint.* Mil. 231 sq. *at te Iuppiter Bene amet.* Poen. 1325 sq. *Ita me Iuppiter Bene amet.* Stich. 504 *Ita me di bene ament.* Curc. 574 sq. *At ita me machaera et clypeus Bene iuvent.* Merc. 864 sq. *invoco Vos, Lares viales, ut me bene iuvetis.* Most. 1036 *Nunc te*

opsecro, ut me bene iuvas. Pseud. 732 *Bene iuvas.* Capt. 315 *Bene merenti bene profuerit.* Cist. 468 *quod in rem tuam bene conducat.**) Merc. 835 *meum parentum rem bene ut tutemini.*

b. verbis malae notionis: Pseud. 1238 *Bene ego illum tetigi* (h. e. *valde decepi*, cfr. Lorenz. in Pseud. 119). Pers. 266 sq. *lepidumst triparcos, vetulos, avidos, aridos Bene admordere.* Pseud. 1138. Rud. 1316 *bene praedatus ibo.*

basilice.

Basilice, quod proprie significat *regie*, *magnifice*, (velut Poen 577 *basilice exornatus cet.*) uno apud Plautum loco affirmat verbum: Epid. 56 *basilice interii*, quod ridicule dictum videtur pro *plane* s. *valde interii.*

firme. firmiter.

firme apponitur adiectivo: Mil. 1015 *ego sum tibi firme fidus* (sic cum A Ritschelius, Goetzius; *firma fides* B, *firme fidelis* CD; minus recte *firme firmus* Bergkius, op. I, 164) *firmiter* apponitur verbo: Epid. 83 *suffulcis firmiter.* Cas. 132 *concludere in festram firmiter.*

fortiter.

De adverbio *fortiter* disputavit Woelfflinus (Komp. p. 12), qui illud apud classicos scriptores semper propria significatione de animi fortitudine dici contendit, inferiore demum aetate ita poni, ut *firme* significet; sed uno certe exemplo apud Plautum hac ipsa significatione positum legitur: Bacch. 822 sq. *abducite hunc Intro atque adstringite ad columnam fortiter.*

graphice.

Graphice significat *eleganter*, *perfecte*, *quasi pictoris manu expolite*, quia picta nonnumquam elegantiora sunt nativis; velut Trin. 767 *Is homo exornetur graphice in peregrinum modum.* Ad affirmandum adhibetur:

1. appositum adiectivo: Pers. 306 *huic ego graphice facetus fiam.*

---

*) verbum *conducit* sine dubio affirmatur apposito adverbio *bene*, si bonam habet notionem et dicitur pro *prodest*, quod Brixius docet non fieri nisi accedunt verba *in rem.* (Trin. 238.)

2. appositum verbis: Pers. 464 *hanc hospitam autem crepidula ut graphice decet.* Pers. 843 *Graphice hunc nunc volo ludificari.*

inpense.

Inpense, h. e. *sumptuose**) legitur appositum adiectivo: Epid. 566 *ut is ad alias res est inpense inprobus*, ubi *inpense inprobus* eidem allitterationis studio deberi videtur, ac *valide varius* (p. 20), *longe longissumus* (p. 28).

Similem notionem continent adverbia

large. largiter.

Large apponitur adiectivo: Aul. 196 *qui large blandust dives pauperi.*

Largiter apponitur verbo: Epid. 484 sq. *stulte datum Reor* (sc. argentum), *peccatum largiter.* Most. 438 *Edepol, Neptune, peccavisti largiter.*

Raro**) igitur adverbia, quae significant *reichlich* apud Plautum inveniuntur, quod mihi quidem satis mirum videtur; nam id quod sumptuosum magnaeque inpensae esse dicitur, facile ponitur translate pro *magno, multo* atque eiusmodi adverbia nihil fere distant a *valde.*

insignite.

Adiectivum *insignitus* significat *nota quadam affectum*, velut frg. 102 sq. *insignitos pueros Aut varum aut valgum cet.* Adverbium *insignite* vim affirmandi continet his locis:

1. appositum adverbio: Rud. 1096 sq. *Haud iniquom dicit, Gripe, ut ostendatur vidulus.* || *Immo hercle insignite inique.*

2. appositum verbis: Cas. 1010 *Mihi quidem edepol insigniter factast magna iniuria.* Men. 1008 *Neu sinas in me insignite fieri tantam iniuriam*, ubi apte interpretatur Brixius: *himmelschreiend, unerhört.* Mil. 560 *Eam fieri apud me tam insignite iniuriam* (in A legitur *insignitam*, quod ut a Plauti usu

*) cfr. Bacch. 394 *ingrato homine nihil inpensiust*, h. e. nihil, quod inpendiosius s. carius constet, quia beneficia in ingratum collecta inpensae sunt et iacturae; minus recte *infensiust* scripsit Ussingius.
Idem quod *inpense*, significat comparativo appositum *impendio*: Aul. prol. 18 sq. *minus minusque inpendio Curare;* Fraessdorfius (p. 31 sqq.) hoc vocabulum omisit.

**) *abunde* et *copiose*, quae idem significant, a Plauto prorsus aliena sunt.

alienum editores iure respuerunt; cfr. Brix. adnot.) Rud. 642 sq. *Quibus advorsum ius legesque hic insignite iniuria Factast (insignitae* corrupte libri). Poen. 809 *Iniuriam illic insignite postulat.*

Adverbium *insigniter* apud Plautum non invenitur; *egregie, eximie, praecipue,* quae idem fere significant, numquam adiectivis verbisque apponuntur*).

probe. adprobe.

Multo saepius ad affirmandum adhibetur adverbium *probe* (cfr. Lorenz. in Most. 342).

1. apponitur adiectivis.

a. adiectivis, quae significant vino plenum: Amph. 282 *Credo edepol equidem dormire Solem, atque adpotum probe.* Rud. 566 *si probe adpotus siem.* Most 342 *Unde agis te?* || *unde homo ebrius probe.* Aul. 573 *Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe.* Pseud. 1252 *ego nunc probe abeo madulsa.*

b. adiectivis bonae notionis: Mil. 1397 *Vide ut istic tibi sit acutus, Cario, culter probe.* Bacch. 941 sq. *insunt multi milites Armati atque animati probe.* Cas. 124 *Ita te aggerunda curvom aqua faciam probe.* Most. 102 *Aedes quom extemplo sunt paratae, expolitae, factae probe examussim***). Asin. 342 *memor es probe.* Pseud. 218 *amicos tot habes tam probe oleo onustos.* Poen. 1049 *est par probe* (sc. tessera) *quam habeo domi.* Poen. 804 *extis sum satur factus probe.* Mil. 609 *Sterilis hinc prospectus usque ad ultimamst plateam probe.* Most. 472 sq. *numquis est Sermonem nostrum qui aucupet?* || *Tutum probest.*

c. participiis adiective usurpatis: Mil. 903 *probe meditatam utramque duco.* Trin. 817 sq. *Eumque huc ad adulescentem meditatum probe Mittam.* Most. 870 *probe tectum habebo* (sc. tergum), h. e. *plane tutus sum.*

---

*) *egregie* apud Terentium adiect'vo apponi docet Woelfflinus Komp. p 19.

**) minus recte Georges, qui hunc versum afferre videtur in Lexico s. *probe* coniungit: aedes sunt factae probe; immo *probe* cum adverbio *examussim* coniungendum est et interpretandum: *probe ad regulam,* h. e. *valde accurate* s. *accuratissime.*

2. apponitur verbis:

a. verbis bonae notionis: Aul. 583 *abstrudam probe.* Poen. 574 *callemus probe.* Curc. 386 *ego hic med intus explevi probe.* Men. 641 *rem novit probe.* frg. 165 *vidulam intro condam in arcam atque occludam probe.* Aul. 503 *matronarum hic facta pergnovit probe.* Truc. 152 *Utrosque pergnovi probe.* Pseud. 1274 *probe Ionicam perdidici.* Pers. 853 *sciunt referre probe inimico gratiam.* Pers. 173 *potuisset iam fieri, ut probe litteras sciret.* Pseud. 698 *servas imperium probe.*

b. verbis malae notionis:

α. verbis, quae significant *decipere, ludibrio habere:* Capt. 269 *usque admutilabit probe.* Amph. 424 *iam ego hunc decipiam probe.* Amph. 997 sq. *faxo probe Iam hic deludetur.* Amph. 1005 *iam ille hic deludetur probe.* Bacch. 701 *Emungam hercle hominem probe hodie.* Most. 1108 sq. *probe Med emunxti.* Trin. 896 *ludam hominem probe.* Most. 1067 *Quoius ego hodie ludificabor corium, si vivo, probe.* Mil. 935 *ego illum probe iam oneratum huc acciebo.* Pseud. 603 *hunc stratioticum nuntium probe percutiam* (cfr. Lorenz. in Pseud. 455.) Epid. 491 *tibi os est sublitum plane et probe.* Bacch. 766 *Vorsabo ego illunc hodie, si vivo, probe.* Pseud. 1308 *ut probe tactus Balliost* (cfr. Lorenz. in Pseud. 119). Hoc exemplo usus Schoellius Truc. 886 scripsit *spes etiamst hodie probe tactum iri militem* pro corrupta codicum scriptura . . . *hodie tantum iri militem.* Ritschelii coniectura *probe* additum est Pers. 807 sq. *hunc inridere Lenonem lubidost probe.*

β. verbis, quae significant *plectere, vexare, perdere:* Cas. 156 *Ego pol illum probe incommodis angam.* Bacch. 497 *concastiga hominem probe.* Stich. 436 *Me in culpa habeto, nisi probe excruciavero.* Poen. 201 *infortuni intenta ballistast probe.* Bacch. 780 *Ut tua iam virgis latera lacerentur probe.* Amph. 183 *qui mihi advenienti os occillet probe.* Amph. 328 *onerandus est pugnis probe.* Pers. 481 *huic insidiae paratae sunt probe.* Pers. 650 *ipsus probe perditust (prope* libri, em. Ritschelius). Capt. 635 *pereo probe.* Epid. 74 *Puppis pereundast probe.* Men. 441 *periit probe.* Pers. 667 *praedatu's probe.*

Most. 4 *Ego pol te ruri, si vivam, ulciscar probe* (verbum *ulciscor* significat idem fere ac *verbero, castigo).* Most. 1179 *utrumque, et hoc et illud, poteris ulcisci probe.* Pers. 756 *probe inimicum sum ultus.* Poen. 1228 *Nunc ego pol te ulciscar probe.* Poen. 1280 *Si ego minam non ultus fuero probe.*

3. apponitur *toti enuntiato:* Most. 736 *probe ut voluimus viximus* (recte Lorenzius: *so recht nach Herzenslust*). Pers. 123 *Cynicum esse egentem* (sic cum D Ritschelius, *gentem* BC) *oportet parasitum probe.*

Apparet igitur adverbio *probe* saepissime adiectiva et verba affirmari, atque inprimis ea, quae continent aliquid iocosi et lepidi; denique commemoratione haud indignum videtur nullum adverbium saepius quam *probe* postponi adiectivis vel verbis.

Eadem ratione dicitur *adprobe*: Trin. 957 *concrederet, ni me ille et ego illum novissem adprobe.*

recte.

1. adiectivis non apponitur*) nisi uno loco comparativus *rectius*: Poen. 875 sq. *rectius Tacitas tibi res sistam, quam quod dictumst mutae mulieri* (codd.: *Tacitus tibi resistam*, corr. Bothius), ubi tamen potius cum verbo *tacitum sisto* adverbium coniungendum est.

2. verbis apponitur:

a. bonae notionis: Epid. 292 *Hic poterit cavere recte, iura qui et leges tenet.* cfr. 359. Men. 346 sq. Most. 926. Capt. 386 *quod in rem recte conducat tuam* (cfr. pag. 34 adnot.) Cas. 105 *ruri recte qui curet.***)

b. malae notionis: Bacch. 349 *Ille onerandust recte et plus iusto vehit* (similiter Mil. 935 *probe oneratum*, p. 37).

pulcre.

1. apponitur adiectivo: Amph. 681 *quom te pulcre plenam aspicio, gaudeo.*

---

*) contra apud Catonem (de r. r. 44) legitur: *locus recte ferax.*

**) verbum *curo* apposito adverbio *recte* non affirmatur nisi continet notionem *lucri* et *emolumenti*, quod Brixius docet fieri, si a verbo *curo* pendet dativus (Trin. 1057).

2. apponitur verbis:

a. bonae notionis: Mil. 780 *ita esse, ut dicis, teneo pulcre.* Poen. 578 *tenes praecepta in corde? || pulcre.*

b. verbis malae notionis apponitur ironice: Poen. 457 *avarae Veneri pulcre adii manum*).* Bacch. 239 *Extexam ego illum pulcre.* Truc. 636 *pulcre ludificor.* Curc. 214 *pulcre, Polinure, occidi.* Bacch. 793 *Pendebit hodie pulcre* (i. e. *quasi turdus reti captus*). Mil. 404 *si ad erum venerit haec res, peribis pulcre.* Cas. 509 *pulcre pervortam viros* (sic Langenus, *pulcre praevortar viros* codices, *pulcre praevortar viris* Schoellius). Aul. 411 *Neque ligna ego usquam gentium praeberi vidi pulcrius* (h. e. *magis fustibus verberari*). Pers. 608 *Curato ut praedati pulcre ad castra convortamini.* cfr. 667. Merc. 482 *Vin patri sublinere pulcre me os tuo?* Men. 471 sq. *ni hanc iniuriam Meque ultus pulcre fuero* (similiter Most. 4 *te . . ulciscar probe* cet. cfr. p. 38).

lepide.

Ad affirmandum adhibetur adverbium *lepide* pro *bene* s. *pulcre* positum.

1. adiectivis appositum non invenitur.

2. verbis apponitur: Bacch. 1152 *Meum pensum ego lepide accurabo.* cfr. Pers. 393; Poen. 1106 *Lepide hercle adsimulas.* Truc. 964 *Lepide ecastor aucupavi atque ex mea sententia.* Bacch. 1206 *Lepide ipsi hi sunt capti.* Cas 476 *ego uno in saltu lepide apros capiam duos.* Poen. 648 *Canes conpellunt in plagas lepide lupum.* Trin. 560 *Lepide hercle . . hunc senem deterrui.* Pseud. 585 *Ballionem exballistabo lepide.* Cas. 726 *Lepide excuratus cessisti.* Men. 169 *ut lepide fastidis.* Truc. 681 *Intellexisti lepide, quid ego dicerem.* Bacch. 642 *Erum . . ut ego hodie lusi lepide.* Cas. 558 *Iam hic est lepide ludificatus.* Mil. 927 sq. *ni ludificata lepide Ero.* cfr. 1161. Curc. 505 *lenones . . novisti, lusce, lepide.* Truc. 111 *lepide*

*) hanc locutionem sic explicat Muretus (var. lect. XIX., 19), ut manum adire is dicatur, qui quid alicui tanquam in manum traditurus ostentet, cumque ille manum ad id capiendum porrexerit, suam ipse manum retro trahat eumque inanem atque hiantem destituat.

referimus gratiam furibus nostris. Bacch. 988 *Turbat equos lepide ligneus.* Stich. 126 *vos lepide temptavi vostrumque ingenium.* Aul. 827 *Lepide hercle animum tuom temptavi.*

B. adverbia malae notionis.

male.

Male adverbium vim augendi continet eis tantum verbis appositum, quae ipsa quoque malae notionis sunt; nam verbis bonae notionis appositum *male* non auget notionem, sed elevat vel prorsus negat*).

1. adiectivis non apponitur (cfr. Woelfflin. Komp. p. 15).

2. verbis apponitur: Most. 882 *Male castigabit eos exuviis bubulis.* Aul. 409 *me miserum . . . fustibus male contunderunt.* Pers. 853 *Male disperii.* Poen. 844 *male partum male disperit.* Amph. 304 *formido male.* Capt. 913 *Nimisque hercle ego illum male formidabam.* Cist. 506 *Quae in tergum meum veniat, male formido.* Poen. 379 *Male formido.* Pseud. 1019 *Nimisque ego illunc hominem metuo et formido male.* Mil. 311 *mussitabo potius quam inteream male.* Cist. 57 *male mihi est, male macero.* Aul. 61 *nimisque ego hanc metuo male.* Men. 976 *id ego malum metuo male* (sic Schoellius, *male malum metuo* libri). Poen. 1292 *male ego metuo miluos.* Pseud. 784 *nunc male malum metuo miser* (*malum* pro *eum*, quod in libris legitur, scripsit Ritschelius). Bacch. 934 *Qui misere male mulcabere.* Mil. 163 *ne usque ad mortem male mulcassitis.* Most. 903 *ne huc exeat, qui male me mulcet.* Trin. 984 *ego hic te iubeo mulcari male.* Capt. 526 *male occidam oppetamque pestem.* Men. 189 *Ut ego uxorem . . . odi male.* Rud. 920 *nimisque id genus odi ego male.* Most. 685 *Ita mea consilia . . oppugnas male.* Cas. 982 *palles male.* Curc. 622 *Iupiter te male perdat* (versum pro spurio habet Goetzius secutus Guyetum). Most. 316 *Ita me male convivi sermonisque taesumst.* Aul. 208 *Nimis male*

*) ita ut non augeatur notio, sed negetur, *male* apponitur adiectivo *morigerus*, quod quidem servasse videtur verbalem notionem *morem gerere*: Curc. 169 *male mi morigeru's.* Epid. 607 *Male morigerus mist danista.* Pseud. 208 *male morigeru's mi;* verbis sic apponitur *male:* Curc. 481 *ibi sunt subito, quibus credas male.* cfr. 679; Trin. 1048 *Male fidem servando . . abrogant etiam fidem.* Pseud. 320 *mi bene merenti male refertur gratia.*

timui. Praeterea *male* in codicibus omissum ab editoribus additum est: Cist. 57 *Excrucior, mea Gymnasium, [male]*, ubi *male* addidit Ussingius. Rud. 1046 *[Male] metuo propter vos, ne uxor . . extrudat* (*male* addidit Schoellius.) Denique Truc. 856 sq. librorum lectionem graviter corruptam: *Nam mihi dividiaest in tonstricem meam sicut multam Ea dixit cet.* sic sanare studuit Schoellius: . . *dividiaest tonstricem meam sic malitiam male Extinxe et cet.*

Comparativus peius legitur: Cist. 74 *Sed ego mea culpa et stultitia peius misera maceror.* Mil. 128 *Neque peius quemquam odisse quam istum militem.* Trin. 265 *qui in amorem praecipitavit, peius perit quasi saxo saliat.*

Superlativus pessume legitur: Stich. 183 *Oratio una interiit hominum pessume.* Amph. 606 *sum obtusus pugnis pessume.* Curc. 684 *Pessume metui, ne . . solveret.*

misere.

Similem notionem atque *male* continens adverbium *misere* eis verbis apponitur, quae malae notionis sunt.

1. adverbio apponitur uno loco*). Bacch. 934 *Qui misere male mulcabere quadrigentis Philippis aureis*, nisi hic *misere male mulcabere* per asyndeton pro *misere maleque mulcabere* dictum esse putaveris.

2. verbis apponitur: Truc. 632 *mihi de vento misere condoluit caput.* Cist. 129 *Is amore misere hanc deperit mulierculam.* (versus 127—130 pro spuriis habet Ritschelius). Pseud. 4 *quae miseriae te tam misere macerent.* Asin. 121 *moriri sese misere mavolet.* Truc. 565 *in mare abit misereque perit.* Praeterea corrupte praebent *misere* codd. Palatini: Truc. 466 *ea illi misere miseriast* (*miserae miseriast* D), ubi *misera miseriast* recte emendasse videtur Kochius; versus 465—75 ut dittographiis plenos in suspitionem vocavit Schoellius.

graviter.

Graviter pro *valde, vehementer* ponitur: Cist. 83 *quem ego amarem graviter.* Cist. 116 *auris graviter optundo tuas.*

---

*) *misere miser* v. p. 43 sq.

insanum.

Adverbium *insanum*, quod in vulgari sermone dicitur pro *multum, valde*, apud Plautum adiectivis adverbiisque tantum apponitur: Most. 760 sq. *Nam sibi laudavisse ait hasce architectonem Nescio quem exaedificatas insanum bene.* Most. 908 *quid porticum? || insanum bonam.* Bacch. 761 *Insanum magnum molior negotium* (*insane* contra librorum auctoritatem Bothius). frg. 84 *Insanum valde uterque deamat.* Trin. 673 *Insanum malumst hospitium, devorti ad Cupidinem* (*Insanum et malumst in hosp.* B, *Insanumst et malum in hosp.* CD, emendavit Brixius, quem secutus est Ritschelius, delendum esse *et* iam viderat Lipsius).

Adverbii forma *insan***e**, invenitur uno loco in libris Palatinis: Mil. 24 *epityrum illi estur insane bene*, ubi *insan***e** etiam Varronis testimonio (de l. l. VII., 86) confirmatur. Attamen cum in A legatur *insan***um**, cumque omnibus ceteris locis inveniatur forma exiens in —**um** sequendum esse puto auctoritatem libri longe praestantissimi cum Brixio, Ribbeckio, Goetzio; accedit quod *insan***um** dixisse Plautum testantur Festus Pauli q. 113 et Nonius p. 127 25; *insan***e** scripserunt Ritschelius, Lorenzius. Minus recte *insanum* addidit Seyffertus: Men. 292 *Nam equidem [insanum] insanum esse te certo scio* (*insan***e** *insanum* Lorenzius ad Pseud. 1045), quod eadem ratione dictum esse vult ac *stulte stultus* = *docte doctus* cet; *I nam equidem insanum esse te certo scio* aptius scripsit Schoellius.

Caput III.

De gradatione etymologica.

Varietatis dicendi, qua Plautus in affirmando usus est, perfectam imaginem exhibere non poterimus, nisi id quoque gradationis genus perlustraverimus, quod dicitur etymologicum. Figura etymologica enim, per quam componuntur duo eiusdem stirpis vocabula, quae item grammaticae legibus artissime inter se conexa unam eandemque notionem amplificatam efficiunt, cum late patet per Latinum sermonem tum summa cum arte culta est a Plauto; quanta enim dictionis ubertate hoc quoque in genere Plautus eluceat, vel inde cognoscitur, quod, ut exemplo utar dilucido, pro *bene memini* triplici augendi ratione usus dicit: *memoriter memini*, *memor memini*, *memoria memini*. Nostrum erit hoc loco unum huius figurae genus explicare, nempe ea perlustrare exempla, ubi poeta adiectivis verbisque adverbia apposuit, quae non solem eiusdem significationis sed etiam eiusdem originis sunt atque adiectiva verbaque, quibus apponuntur.

1. adverbia apponuntur adiectivis.

a. adverbia et adiectiva eiusdem originis sunt:

belle bellus: Rud. 426 *Non licet te sic placidule belle bellam tangere? (bellam belle* libri, transposuit Schoellius);

docte perdoctus: Mil. 258 *docte tibi illam perdoctam dabo;*

inpudenter inpudens: Rud. 977 *abin, inpudenter inpudens?*

longe longissumus: Most. 911 *longe omnium longissumust.* (cfr. p. 28);

mirimodis mirabilis: Trin. 931 *nimium mirimodis mirabiles* (sc. *locos adii);*

misere miser: Cist. 522 *Illo sunt homines misere miseri. (Nimis sunt cet.* Muellerus). Pseud. 13 *Misere miser sum;*

parce parcus: Aul. 314 *mortalem parce parcum praedicas;*

scite scitus: Cas. 552 *nimium scite scitus es;*

unice unus: Asin. 208 *Me unice unum ex omnibus te . . amare.* Bacch. 207 *unice unum plurumi pendit.* Stich. 11 sq. *adeo unice unus . . probus qui perhibetur.* Truc. 194 *ain tu eam me amare?* || *immo unice unum*;

unice unicus: Bacch. 407 *pessum dedit tibi filium unice unicum.*

Praeterea coniecturis virorum doctorum idem dicendi genus restitutum est his locis:

laete laetus: Truc. 701 *ego [laete] laetus sum* (*laete* addidit Spengelius);

misere miser: Aul. 721 *Heu ne misere miserum* (*miserum miserum* libri, corr. Seyffertus). Asin. 616 *ut [misere] miser homost qui amat* (*misere* addidit Goetzius).

producte prodigus: frg. 82 *Producte prodigum esse amatorem addecet* (*productae prodigium* cod. Festi p. 229. 19; corr. Ursinus).

Contra non satis probabilia videntur esse haec, quae ipsa quoque coniecturae debentur:

fidele fidelis: Capt. 439 *Fac fidele sis fidelis* Fleckeisenus scripsit pro librorum lectione *Fac fidelis sis fideli;* sed *fidele* pro *fideliter* dixisse Plautum iure negat Brixius.

firme firmus: Mil. 1015 *ego sum tibi firme firmus* Bergkius proposuit; *firme fidus* A, quod iure continuerunt Brixius, Lorenzius, Goetzius; corrupte *firma fides* B, *firme fidelis* CD.*)

Adverbia eiusdem originis adiectivis apposita apud unum Plautum inveniuntur; omnia autem fere et adiectiva et adverbia ab adiectivis eiusdem declinationis derivata secundae declinationis sunt (tertiae sunt Rud. 977 *inpudenter inpudens* et Trin. 931 *mirimodis mirabilis*), semper adiectivo adverbium praemittitur.

---

*) inmerito ad hoc dicendi genus referuntur nonnulla exempla, ubi quamquam simul ponuntur adverbium et adiectivum eiusdem originis, tamen non cum adiectivo adverbium coniungendum est, sed cum verbo: Rud. 1238 *Siquis avarus poscit escam avariter.* Asin. 676 *ei sane bella, belle.* Curc. 521 *sequere istum, bella, belle.* Cas. 854 *I belle, belliatula.* Curc. 462 *nugatorem lepidum lepide hunc nactust.* Cas. 826 *malae male monstrant.* Most. 187 *stultus stulte facis.*

b. adverbia et adiectiva non originem sed vim et significationem habent eandem:

Haec permutata et attenuata forma figurae etymologicae non apud unum Plautum sed apud alios quoque scriptores invenitur. Etiam huius generis apud Plautum exempla omnia fere secundae declinationis sunt; uno tantum loco adverbium adiectivo postponitur.

Secundae declinationis sunt:

callide facundus: Merc. 35 sq. *nullus usquam amator adeost callide Facundus.*

docte vorsutus: Stich. 561 *adulescens docte vorsutus fuit.*

firme fidus: Mil. 1015 *ego sum tibi firme fidus* (cfr. p. 34. 44).

inepte stultus: Most. 495 *inepte stultus es.*

inique iniurius: Epid. 551 *inique iniuriu's.*

sancte pius: Rud. 1234 *nimis sancte piu's.*

vorsute malus: Pseud. 1017 *hominem vorsute malum.*

Tertiae declinationis sunt:

propere celer: Trin. 1008 *fac te propere celerem.*

stultus pueriliter: Pers. 591 *nimis tu quidem homo stultus es pueriliter* (hoc uno loco adiectivum praecedit adverbio).

celeriter calidus: Epid. 141 sq. *huic homini opust quadraginta minis Celeriter calidis.*

aeque par: Men. 1119 *aeque ambo pares* (sc. sumus).

perspicue palam: Aul. 188 *perspicue palamst (palam est* eadem ratione dicitur atque *apertum est* v. s. q.)*)

---

*) Adverbiis adverbia apponuntur, ita tamen, ut discerni nequeat, utrum alterum augeatur altero an utrumque per se constet et alterum alteri per asyndeton additum sit his locis: Poen 662 *hic clam furtim se esse vult.* Bacch. 374 *me continuo contuli protinam in pedes.* Curc. 48 *amo pariter simul.* Rud. 1323 *Eloquere propere celeriter.* Cas. 744 sq. *propere cito intro ite* (sic AB, *propere intro Ite* Schoellius). Cist. 472 *aliquis intus prodeat propere ocius.* Aul. 264 *sequere propere me ad macellum strenue.* Cas. prol. 33 sq. *postid rursum denuo Latine* (sc. Plautus scripsit fabulam). Curc. 283 *subito propere et celeriter obiectumst mihi negotium.* Merc. 685 *Quid, mulier?* || *mulier meretrix* || *veron serio?* cfr. Brix. in Mil. 277. Woelfflin. Komp. p. 14.

Praeterea Truc. 493 pro corrupta librorum lectione: *Strenui nimio plus prosint populo quam arguit eccati* (sic BC, *arguteccati* D) sine dubio recte argute cati restituit Seyffertus.

In frg. 256, quod in codice Festi p. 333,3 mutilatum legitur, comesa farte scripsit Ursinus, ubi *esa* in codice est.

Denique Truc. 83, ubi corrupta est librorum scriptura: *Qui manifesta ac odiosum sibi esse memorabat mala* Seyffertus coniecit *Quem* infeste odiosum *cet.* (*quem* inpense odiosum Fleckeisenus).

2. adverbia apponuntur verbis:

a. adverbia et verba eiusdem originis sunt:

audeo audacissume: Men. 1003 *Ecquis mihi suppetias audet ferre? || ego, ere, audacissume.*

caveo cautius: Men. 151 *eo mi abs te caveo cautius.*

cupide cupio: Cas. 267 *quid istuc tam cupide cupis?*

cursim curro: Pseud. 358 *Numquam ad praetorem aeque cursim curram.*

iterum itero: Poen. 921 *eadem hic iterum iterem.* Rud. 1265 *Iterum mihi istaec omnia itera.*

madide madeo: Pseud. 1297 *Non vides me, ut madide madeam?*

memoriter memini: Capt. 249 sq. *si potes Memoriter meminisse.*

memini memoriter: Poen. 562 *meministis memoriter.*

memoro memoriter: Amph. 417 *quae illic sunt res gestae memorat memoriter.*

misere miseret: Most. 985 *me eius patris misere miseret.*

morem gero morigere: Cist. 82 *gessit morem morigere mihi.*

nitide niteo: Truc. 354 *Ut tota floret, ut olet, ut nitide nitet.*

propere propero: Curc. 535 *nisi tu mihi propere properas dare minas.* Curc. 688 *argentum propere propera vomere.* Aul. 243 *intro huc propere propero currere* (versum damnarunt Ussingius et Langenus).

sapienter sapio: Poen. 606 *hic homo sapienter sapit.*
statim sto: Amph. 276 *statim stant signa.*
valide valeo: Pers. 427 *tua vox valide valet* (cfr. p. 20).

Huc referendum puto Amph. 278 optume optumam operam das, ubi adverbium non cum solo adiectivo *optumam* coniungendum est, sed cum praedicato *optumam operam das.*

Capt. 102 cupide cupio scripserunt Spengelius et Brixius pro codicum lectione: *nimisquam cupio ut impetret*; cfr. p. 32.

Truc. 60, ubi corrupta est librorum scriptura: *Qui nostrae aetati tempestivo temperint*, editores vetustissimi dederunt: tempestive temperant, *intempestivae temperint* Spengelius et Schoellius.

Adverbia*) sic apposita plurimis locis verbis praecedunt.

b. adverbia et verba non originem, sed significationem eandem habent:

α. adverbia et verba speciem praebent similem:

congruo concorditer: Curc. 264 *illi inter se congruont concorditer.*

contemptim contero: Poen. 537 *ne nos tam contemptim conteras.*

pervorse perturbo: Amph. 1044 *pervorse perturbavit familiae mentem meae.*

laxe labo: Stich. 521 *si res laxe labat* (sic A, *lassa labat* B, *lassae labant* C, *lasse labant* D).

Praeterea Truc. 613 *ego ted hic hac* offatim offigam Schoellius recepit (*offatim officiam* B, *affatim officiam* CD); Cas. 893 obdo obice scripsit Schoellius, *obdo* vel *abdo* codd.

---

*) Eadem ratione atque adverbia accedunt verbis etiam substantiva eiusdem originis ablativo casu posita: Most. 362 *qui non curro curriculo domum?* Poen. prol. 43 *scribilitae aestu aestuant.* Pseud. 24 *ludis me ludo tuo.* Curc. 468 *Ne nimio opere sumat operam.* Deinde accedunt adiectiva: Epid. 651 *tacitus taceas tute tecum.* cfr. Poen. 906; Pseud. 339 *dum ego rivos vivam.* Denique accedunt verba: Aul. 181 *domum properare propero.*

β. adverbia et verba significationem praebent eandem:

perdocte calleo: Most. 279 *Ut perdocte cuncta callet.*

meditor cogitate: Mil. 944 *Abeamus . . haec uti meditemur cogitate.*

erro pervorse: Most. 952 *erras pervorse.*

denixe expeto: Trin. 652 *agrum tibi relinqui . . denixe expeto.*

lepide lenio: Bacch. 1150 *lepide ut lenitum reddas.*

efflictim pereo: Merc. 444 *Adulescens . . efflictim perit.*

maturate propero: Pseud. 1157 *maturate propera.*

propero ocius: Curc. 312 *properatin ocius?*

umide puteo: Most. 156 *tigna umide putent haec.*

Itaque ea quoque adverbia*), quae verbis apposita significationem tantum habent eandem, ab adiectivis et secundae et tertiae declinationis derivata sunt, plurima tamen secundae, liberrimeque et praemittuntur verbis et postponuntur.

---

*) pro adverbio etiam adiectivum vel potius participium verbo apponitur, velut: Poen. 523 *servile esse duco festinantem curare.* Amph. 977 *Audis quae dico, tametsi praesens non ades.* cfr. Most. 1075. Stich 577.

Vita.

Natus sum Paulus Gehlhardt Wernigerodae, in oppido sub monte Bructero sito, die XIV. mensis Septembris a. h. s. LXVIII., patre Julio, ludi magistro, matre Minna e gente Fuhst, quos parentes carissimos adhuc superstites esse maxime gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Ab anno h. s. LXXVIII in gymnasio patriae urbis per decem annos eruditus sum. Vere a. h. s. LXXXVIII. maturitatis testimonio accepto adii universitatem Halensem, ubi per octo semestria incubui studiis philologicis. Scholas audivi vv. dd. Burdach, Dittenberger, Droysen, B. Erdmann, a Fritsch, Haym, Hering, Hiller, Keil, Lindner, Sievers, Uphues, Wernicke. Benignitate vv. dd. Keil, Hiller, Dittenberger mihi contigit, ut particeps fierem exercitationum proseminarii et seminarii philologici, nec non mihi licuit liberalitate v. d. Haym, ut adessem exercitationibus philosophicis per duo semestria.

Viris illis illustrissimis, inprimis Henrico Keil, viro de me longe optime merito, cuius societati philologicae adnumeratus sum per ter sex menses, gratias ago quam maximas.